

QK.307

v. Nostitz

XXI.

(X1883907)

1221

20

II n
2128



ULRICI à NOSTITZ

Equitis Lusatij

ORATIO DE GRA-
vissimâ illâ quæstione,

UTRUM MONAR-
CHIA ROMANO-GERMANI-
CA ANTE EXTREMUM DI-
EM SIT INTERITURA,

*In celeberrima VVittebergensium Aca-
demiâ publicè habita 9. Martij, S.V.*

Anno 1606.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAULE)

BIBLIOTHEK
MAGNICKAVIA

VVITTEBERGAE

Excusa typis Jobannis Gormanii

ANNO M. DC. IX.



B.22



PRORECTOR ACAD. VVITEBERG.
DANIEL SENNERTUS
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ
DOCTOR ET PROFESSOR P.

NON significamus vobis, cives Academici, quod omnes scire arbitramur, per aliquot jam annos in hâc Scholâ versatos esse de domo **NO-STICIORUM** Nobili, atque ita versatos esse, ut existimes, eos de compacto rem e-gisse, ut **DOCTÆ NOBILITATIS** quandam quasi familiam in hâc Academiâ vellent constituere. Vel tres fratres mihi videte, qui nunc hîc vivunt: quanta cum laude de argumento sanè gravi seniores istorum duo publicè disputârint. Et natu quidem maximus **ULLRICUS** in aliâ etiam palestrâ, eâq; perinde, si rectè habeatur, laudabili industriâ & ingenium hodie periclitabitur. Conscripsit enim orationem de argumento itidem difficili & momenti gravioris, & quod tractatu simul utile sit, & jucundum: Utrum scilicet hæc Monarchia Romano-Germanica ad exemplum trium priorum ante extremum diem sit interitura? Questio profectò digna, in quâ se homo Nobilis exerceat, & publicè in frequenti scholâ audiatur. Audite, Cives Academici, postea ad horam secundam. Non opinor, quenquam fore, quem opera sue pœniteat.
P.P. Dominicâ Invocavit Anno Christi 1606.

ORATIO

ORATIO.



ANNUS HIC JAM QUINTUS EST, Magnifice Domine Prorektor, Generosi Barones, Reverendi, Clarissimi, excellentissimiq; Viri, & tu Nobilissima, ac florētissima Studiosorum corona: cū perceptis cognitisq; ijs, quæ necessaria futuro existimantur Academico, ad hanc sive communem studiorum Matrem, sive, quod non minùs eleganter dixeris, ad hunc celeberrimum, & in toto terrarum orbe notissimum omnistum divinæ tum humanæ Sapientiæ mercatū, mei me Parentes ablegârunt. Quo toto tempore tantam bonorum aliquot Virorum & Professorum expertus sum benevolētiam, studia, favorem; ut etsi patrijs laribus assiduè carendum fuisset, tamen superiora cogitans & in eâ intuens nunquam mihi viderer à patrijs laribus, nunquam à conversatione meorum, quam omnes magnoperè expetimus & magnificimus, abfuisse. Nunc, cū quinquennalis ille terminus penè sit elapsus, meque aliò vocandum parentes statuunt, pietatis meæ esse, judicavi, parentum obsecundare jussis & hinc discedere: gratitudinis verò, non priùs discedere, quàm & has Academiæ nostræ florentissimæ Musas, & hæc ejusdem Musæa solenniter oratione aliquâ, sterili quantumvis & incomptâ, salutâsem. Atque ad hoc quidem eò eram promptior & alacrior, quod intelligebam de ipso mihi orationis argumento non admodum fore laborandum. Ipse enim discessus meus, atque hæc qualiscunque mutatio faciebant; ut habitâ paulò diligentiori illius consideratione, cū aliud subinde atque aliud succurreret, animum à me ipso avocarem, & mutationum recordarer non levium certè, aut momentanearum, sed gravium,

Exordium.

sed quotidianarum, quas hâc tempestate, hâc tempestate dico? imò quas omnibus mundi seculis maxima & florentissima quævis imperia, Resq; pub. catervatim exceperunt.

Plato.

Est videlicet ita, quemadmodum alicubi gravissimè Plato dixit, fieri non posse, ut etiam optimè constituta Respub. semper maneat, cum omnia facta ac creata intereant. Idq; à Platone didicisse se, Marcus Tullius fatetur;

*Livius in dec.
1. lib. 2.*

quibus assentiri Livium, video, sententiâ prorsus elegantî: unum id venenum, eamq; labem civitatibus repertam opulentis, ne magna imperia essent immortalia. Nec ab horum mente alienus fuit Sapien-

*Philo. in lib.
quod Deus sit
immortalis.*

tissimus ille Philo. Quàm enim elegans est ejus hâc ipsâ de re disputatio? Negat rem ullam mortalē verè esse, ac subsistere; sed subsistere ut ludicra somniorū: neq; dubitat populosas urbes & Respub. cōferre cum marinis æstibus,

Resp. comparantur ludicris somniorum & æstibus marinis.

quod quemadmodum hi jam accedunt, jam refluent, sic illæ initiò rerum secundarum fluxu inundentur, mox a verso fluxu ne guttam quidem opulentiae & felicitatis pristinae retineant. Et profectò si veterum scriptorum consulere monumenta, & in hoc amplissimo mundi theatro circumspicere paululùm libuerit, reperiemus, sententijs hisce omnibus ipsam rei respondere veritatem.

Nam, ut ex tam ubere dicendi campo præcipua saltem decerpam, quæ olim erat Græciæ, quæ Macedoniæ, quæ Aegypti, quæ Carthagini felicitas? At illa felicitas cum aliquandiu splendisset nubes in morem evanuit. Europa verò, & Asia, & orbis hic universus, quid aliud refert nisi navem quandam utentem ventis nunc secundis, nunc adversis?

Quæ omnia, cum subeunt animos vestros, nunquid etiam de Romano cogitatis imperio? nunquid ei metuitis?

tuitis? Ego sanè quoties hanc instabilitatē, admirandāq;
 imperiorum translationem intueor, magnoperè vereri
 soleo, ne, quod cæteris monarchijs, regnisq; accidit, i-
 dem Germaniæ, Germaniæ, inquam, communi nostræ
 patriæ, (quando omnia in pejus ruunt, & retrò subla-
 pta feruntur) eveniat. Nec me ita animatum esse, quis-
 quam mirabitur, qui in amœnissimos historiarum hor-
 tos parumper expatiatus cum antiquo Romani Impe-
 rij flore conclamata hæc tempora comparaverit. Ubi
 enim veteris Romæ facies? ubi splendor ille? ubi magni-
 ficentia? Eò certè res redijt, ut de tanto, tam longè la-
 teq; diffuso imperio, quod omnes sibi gentes & natio-
 nes subegit, cui nullus unquam hostis feliciter sese op-
 posuit, in quo omnia mundi regna exhorruerunt, ut, in-
 quam, de tanto imperio & majestate præter nudum im-
 perij nomen nihil ampliùs remansisse videatur. Sed hæc
 quidem deplorare faciliùs fuerit, quàm emendare.

*Romani Imperij decre-
ment.*

Cæterum nos in Germanico imperio viventes cogi-
 tare nihilominùs & dispicere debebimus: cum & Chal-
 dæorū, & Persarum, & Græcarū Monarchia interierit, u-
 trū & hæc nostra sit omninò interitura? an reliquæ ejus
 usq; ad mundi excidiū futuræ reliquiæ? Hæc quæstio, etsi
 senilem aliquam, si tractari commodè debeat, Sapien-
 tiam, dextrumq; in primis iudicium desideret, quod
 neutrū arrogare mihi audeo: tamen, cum periculi ma-
 gnitudo omnes omnium ætatum homines adhæc cogi-
 tanda quodammodò hortetur, dabit mihi hanc veni-
 am: ut, apud vos differens: adducam ea, quæ iudicijs &
 commentationibus suis summâ præditi Sapientiâ viri
 de proposita quæstione tradiderunt. Spero planeq; con-
 fido vos, quam cæteris omnibus, qui ante me dixerunt,
 attentionem & benevolentiam tribuistis, eandem mihi

*Quæstio græ-
vis. seu pro-
posit.*



quoque (omne enim perfugium in vestro favore collocavi) haud gravatim esse concessuros.

Opinio eorum qui putant imperium Romanum ante ultimum diem penitus corruturum.] Et quia in hac quaestione, ut in caeteris plerisque, alij negant, alij affirmant, quod quaeritur; placet quò melius omnem controversiam dijudicemus, primum eos producere, qui Romanum Imperium penitus interitum, ac sublatum iri contendunt. Nam cum illorum magna sit, semperq; fuerit autoritas, ideo rationes, quas habent, videntur esse ad id, quod volunt obtinendum evincendumq; accommodatae.

Lactantius lib. 7. cap. 15.

Prodeat igitur primò omnium pugnaturus pro hac sententiâ Lactantius. Is secuturas postremis temporibus clades & tempestates multò antè prospiciens ac denuncians, causam illorum impendentem ponit Romani Imperij mutationem: fore enim, ut Romano nomine funditus deleto, reversoque in Asiam Imperio, Occidens serviat, Oriens autem dominetur. A quo si argumenta causasq; requiritis, allegabit eas, & multas & prægantes. Dicit humanis viribus laborata quæ sint, humanis vicissim viribus destrui: mortalia esse mortalium opera; idcirco neminem admiratione duci debere, si regnum tantâ mole fundatum per tot ac tales viros auctum, tantis deniq; opibus confirmatum, corruat tamen aliquando, atque intereat. Confirmabit deinde sententiam suam illustribus potentissimorum aliquot regnorum exemplis: quod quidem splendide illum, copioseq; facere posse, quis non intelligit? Nam & Aegyptios, constat, & Persas & Græcos, & Assyrios orbis terrarum quondam dominos fuisse, sed non ejusmodi dominos, penes quos perpetuò summum esset imperium, sed qui fatali peractâ periodo aliis traderent, quod ipsi velut depositum quodpiam aliquandiu apud se custodiendum accepissent. Destructis itaque

que

que Regnis hisce omnibus, cum ad Romanos quoque rerum summa pervenerit, an meliorem aliquam Imperij hujus conditionem fore somniabimus, quam fuit Græciæ, quam Aegypti, quam Assyriæ? Semperne beatos, semper florentes futuros Romanos opinabimur? Imò verò aliud hoc tempore, loquuntur, aliud ostendunt exigui atque angusti Romanæ ditionis limites.

Scitè admodum Seneca (id quod etiam usurpat Lactantius) antiqua urbis Romæ tempora in certas ætates partitus est, infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, & senectam, quam tunc fuisse, dicit, cum post devictos subjugatosque tot populos, deficiente jam bellorum, quæ prius quasi exercitium virtutis fuerant, materiâ, suis urbs illa viribus malè uteretur, seque ipsam miserrimè conficeret. Mutuemur, quæso, hanc à Sapientissimo viro distributionem, eamque ad Monarchicum Romani Imperij, qui deinceps consecutus est, statum accommodemus. Quò hæc erunt referenda tempora? quò? nisi ad partem ætatis ultimam, senectutem. Omnino, ut ingravescente jam ætate vires corporis paulatim languescunt atque attenuantur, rugæ faciem dedecorant, mutatur color, ipsa vix invicem ossa coherent: ita Imperium Romanum robur illud adolescentiæ, quo se prius tanquam athleta fortis in curriculo ostentabat, perdidit jam & propè consenuit. Ponite vobis ante oculos omnes, quascunque Sol aspicit, regiones, oras, provincias: paucas profectò reperietis, quæ terminis imperij Romani conclusæ sint, cum eoque commone aliquid habeant. Asiæ restat ne quidem vestigium, Africam amisimus: Ungariam Turcæ diripiunt. Quid Lusitania? quid Hispania? quid Gallia? quid Britannia? quid Dania? quid Sarmatia? quid Illyricum? quid Græcia

Lactantius de
divino premio
lib. 7. c. 15.

cia tota? quid Sicilia? quid Sardinia? quid Corsica? quid
 Baleares insulæ? quid Allobroges? quid Italia priscum
 & avitum Romani imperij patrimonium? annon hæ om-
 nes avulsæ sunt jam pridem provinciæ? Sola, sola ad-
 huc superest incertum redacta corpus Germania? at
 quale corpus: tenue profectò & exangue, & cui quoti-
 diè aliquid decerpunt & subtrahunt vicini Reges: ut de
 tergiversatione nihil dicam eorum, qui intra fines Ger-
 manix cum sint, nihilominus se suaq; quantum possunt
 à Germanix ditione subducere conantur.

*In methodo
 historica, Basi-
 leæ impressa
 anno 1576. a-
 pud Petrum
 Pernam pag.
 298. &c.*

*Bodinus pro
 Hispanis pu-
 gnat.*

*Bodinus pro
 Turcis pu-
 gnat.*

Itaq; Johannes Bodinus vir doctus & clarus in pri-
 mis hæc re offensus non erubescit amplissimum & ma-
 gnificentissimum Monarchix titulum Germanis to-
 tum adimere, eumq; jam Hispanorum, jam Turcarum
 Principi tanquam potentioribus sive populos spectes,
 sive regiones, audacter deferre. Hispaniarum Princeps,
 inquit, imperium habet Germanico majus tum popu-
 lorum multitudine, tum amplitudine regionum, ut o-
 mittam regiones Americas, quibus ex magnâ parte do-
 minatur, Europa triplo majores. At ne Regi quidem
 Lusitaniæ pares sunt, si regionum longitudine imperi-
 um definiamus. Nam is universam penè oram Afri-
 cæ armis occupavit, ac fortissimis propugnaculis bar-
 barorum impetus sæpè repressit. Hæc ille de Hispanis
 splendidè, ut solet, & magnificè: at de Turcis multò
 etiam splendidius: Quis Turcico Principe meritò ma-
 jor monarcha dici potest? Patet hoc quidem omnium
 oculis. Si enim est usquam terrarum ulla majestas im-
 perij, ac veræ Monarchix, in eo profectò elucet. Oc-
 cupat enim opulentissimas Asiæ, Africæ & Europæ
 partes, totoque mediterraneo & insulis omnibus,
 exceptis admodum paucis, latè regnat.

Armis

7.
Armis autem ac viribus tantus est, ut unus omnibus ferè principibus par esse possit: Cum Persarum ac Moscovitarum copias extra fines Imperii longè repellat. Christianorum verò provincias, & Imperium Græcorum armis occupavit, atque etiam Germanorum agros populatur. Ejusdem generis & illa sunt. Sive armorum vi, sive opum magnitudine, sive fertilitate regionum, sive numero victoriarum, sive multitudine populorum, sive nominis etymologiâ, sive patriâ Danielis, sive imperii Babylonici sede, sive dittonis amplitudine monarchiâ definiamus, profectò Danielis oraculum de principe Turcarum interpretari æquius erit.

Quanquam quid ego hisce commemorandis diutius immoror? quid humanas adduco opiniones? Oraculi potius utar autoritate, & testimonio. Sibylla igitur, quæ *Lactant. lib. 7. cap. 15. & 25.* rerum futurarum, abstrusarumque eventus multò antè quam fierent, denunciare solita est, probè prævidit, quid de urbe illâ omnium aliarum Regina & dominatrice urbium Româ secuturis deinceps seculis futurum esset. Id hominibus patefactura orationem usurpasse dicitur non ambiguan, non perplexam, ut aliquando, cum Cræsum, Haly penetraturum, magnasque everfurum opes respondit, sed claram, perspicuam, ambiguitatibus omninò nullis intricatam: Expresse enim dixisse:

καὶ ῥώμη κώμη, καὶ δῆλ' ἄδῆλ'.

Quod si oraculorum prædictionibus humana velle conjungere vaticinia, esset lanè antiquissimus, quem citarem, Medorum Rex Hydaspes. Sub commento enim vaticinantis pueri tristissimam Romanæ potentiae ruinam prædixit, adeoq; vatem egit, antequam illa Trojana gens conderetur. Et est quisquam, qui spretis tot sapientissimorum hominum rationibus & oraculis perpe-

Lactant. loco supra citat.

tuas adhuc Monarchiæ hujus quartæ reliquias polliceri sibi audeat?

Dices: Iſtas quidem rationes & oracula non planè ſprevero: faciliùs tamen iſtud mihi perſuaderetur, ſi teſtimonia etiam ex ſacris deprompta literis audirem. Oportunè mones. Iam enim præter ſuperiores etiam Judæi ſunt producendi, qui ex ſacro Codice demonſtrare ac planum facere conantur, non ſemper ſe exules & infelices futuros, ſed quando Romanū Imperiū evanuerit, in exoptatam illam, à qua tot jã ſeculis abſuerunt, Iudæam redituros. Sententiæ hujus firmamentum, quaſi q; præſidium ponunt, in illo Ieremiæ: *Gaude & latere filia Edom, quæ inhabitas terram Hus: Super te quoque tranſibit calix, inebriaberis & nudaberis.*

Quid hic, (inquiunt) vates ſanctiſſimus denunciatur an non Romani Imperii deſtructionem? Nam cum primus Monarchiæ Romanæ autor ac fundator Iulius Cæſar de Edom fuerit, non ſolùm Monarchiam ipſam rectè filiam Edom appellavit, eò reſpiciens Ieremias, ſed vobis etiam Chriſtianiſtanis tanquam Romanis idem hoc nomen jure optimo tribuetur. Audite igitur luætuoliſſimum Regni & Monarchiæ veſtræ fatum. Erit, exclamat vates, erit aliquandò tempus illud, cum tibi, filia Edom, in marorem abibit gaudium, quod ex urbis Hieroſolymitanæ miſerandâ & nunquam ſatis deploratâ everſione cœpiſti: quia & tu bibes ultionis divinæ calicem: quod quoniam eventu hætenus comprobatum non eſt, reliquiis Regni Chriſtianoſtanorum adhuc reſtantibus, meritò, donec eventu comprobetur, expectamus: præſertim cum ſub finem demum quartæ Monarchiæ venturum Meſſiam conſtet.

Hæ fermè ſunt eorum, qui ſententiæ de interitu Imperii

perii Romani patrocinium ac defensionem suscipiunt, rationes, hæc argumenta. Neque vero in ijs exaggerandis atq; amplificandis idcirco tam multus fui, quasi hanc sententiam, qua nihil magis veritati est contrarium, amplectendam putarem: sed solum ut videretis, quam nullum illa, etiam cum orationis nitidæ pigmenta & colores accedunt, apud viros doctos & intelligentes, assensum mereatur.

Nunc, priusquam superiora omnia falsa esse confirmemus, illud incumbere mihi video, ut, quibus potissimum fundamentis opposita nitatur opinio, quamque longe eam pondere veritatis vincat breviter deinceps aperiam. Hæc armis instructa sacrarum literarum, videtur seipsam quodam modo defendere, neque opus habere, uti prior, vel autoritate doctorum, vel prædicatione oratorum.

Etenim Daniel ille, cujus major est autoritas, cum è tantâ hominum multitudine fuisset unus, qui Regi Nabuchodonosori, quod secundum quietem viderat, non solum indicare, sed & commodè interpretari posset, hæc illum oratione compellâsse legitur: Tibi in somnis objecta est species inusitata quâdam magnitudine aspectu prorsus horribili. Caput illius erat ferreum, pectus & brachia argentea, venter & fæmora ærea, pedes partim lutei partim ferrei. Tu videlicet es caput illud aureum, te Deus potentiâ armavit, te gloriâ decoravit, tibi imperium in homines, in bestias, in volucres summum concessit. Post te regnum aliud consurget argenteum, deterius tuo. Sequetur tertium æreum, maximum sanè & latissimum. Regnum verò quartum erit ferreum.

Quam enim ferri vim esse videmus, ut quidvis etiam durissimum conterat & comminuat, eadem Regni

*II,
Sententia
verior Ro-
manum
imperium
usq; ad fi-
nem mun-
di perman-
surum,
Daniel cap.
2. vers. 31.
& seqq.*

*Regnum
ferreum est
Roman.*

illius postremi futura vis est: nullæ invenientur tantæ copiæ, nullæ munitiones, nullæ auxilia, quæ incredibilem illam vim non dicam delere atque infringere, sed leviter duntaxat imminuere valebunt. Iam pedum & digitorum ex ferro simul & argillâ constantium diversitas Regni loquitur dissensionem, inæqualitatem, coherentiam vel nullam vel certe infirmam. Quid enim tam est dissidens? quid tam inæquale? quid conjunctum minus, cohæret quàm ferrum & argilla? Pari ratione & regnum istud ultimum dissidens erit, inæquale, hinc firmum illinc debile, denique quod propinquitate conjungetur quidem, tenaciter nunquam coalescet. Illius regni tempore suscitaturus est Deus regnum stabile, divinum immortale, quod regna illa funditus omnia delebit, quod nulli alii excipient populi, quod vigebit perpetuò quod ipsa æternitas semper intuebitur. Proh Deum immortalem potuitne planius loqui Daniel? potuitne rem demonstrare manifestius? Quatuor mundi Monarchias dicit extituras, in earum ultimâ Romanâ videlicet venturum filium Dei, post regnis simul omnibus deletis atque abolis, mortuorum secuturam resurrectionem. Quem igitur interitum, quam sive quintam sive plures etiam Monarchias nonnulli sibi somniant? Manebit imperii nostri status, & manebit tamdiu, dum ei æternus ille Monarcha CHRISTUS adventu suo ad iudicium gloriosissimo finem imponet.

Quid? quatuor illa animalia dormienti Danieli oblata parumne, quod volumus, confirmant? Adest somnii interpretes ipse Angelus explicatione hac suâ perspicuâ: *He quatuor bestie magne quatuor sunt regna in terris posthac expectanda.* Quò magis mirari soleo, ejus, quem paulò antè nominavimus, cæcitatem dicam, an

*Spirituale
Christi regnum exoritur sub
4. regno
mundi, non
verò illud
spirituale
destruet hoc
mundanum.*

*Daniel.
cap. 7.*

Bodin.

im:

impudentiam? cañfantis ambigua & obscura esse Danie-
lis verba, nec videre se quemadmodum belluas & statu-
am ejusdem aëa, quæ nunc ubique florent, quæque tot
seculis floruerunt, imperia traducamus. Carcutire hoc
quidem est, ad solem, quod dicitur meridianum.

Age verò ne quod relinquatur, dubium, quanquam
quod dubium in re tam certa possit remanere? sed tamen
quò minùs dubitetis, videte, ut illam ferri naturam, illum
rigorem adhuc etiã post divulsiones, distractionesque
Monarchia Romanorum Germanica obtineat. De-
claravit hoc satis felicitas Caroli V. Germani Gaudas *Guilh. Ze-*
venis Imperatoris invictissimi, qui potentissimum Gallia *nocarus de*
Regem Franciscum ad Papiam vicit cepitque: cum ipse *rebus ge-*
fretus ducum suorum fortitudine confliãui, quod mire- *stis Car. V.*
ris, non interfuisset. Declaravit hoc repentinus Turca- *Chyt. in*
rum terror, qui quanquam suo pte ingenio feroces & spe *Saxon. lib.*
atque animis inflati Christianorum vires maximè despi- *11.*
ciant: tamen in illà Viennensi obsidione Carolum V. ex-
pectare noluerunt. Adeò tunc ferreus Monarchiæ nostræ
rigor in Carolo; sese exerebat. Adeò Carolus, quacunque
incedebat, fulminis in morem hostiles turmas disjicere, &
victoriam in manibus quasi gestare videbatur. Idem porro
declarat! Turcici Tyranni vis atque impetus, quem
nostris sustineri potuisse tamdiu quis non miretur? Memi- *Ab anno*
nimus omnes superioribus annis bello isthoc renovato, *1591. Chri-*
quæ totâ Germaniã fuerit trepidatio, quæ sollicitudo, qui *sti & seqq.*
pavor. Omnem enim consequendæ alicujus victoriæ
spem incredibilis barbarorũ ad fines nostros adventantiũ
multitudo sustulerat. Omnes actum de se, actum de
Germaniã clamabant. Minimè verò actum, minimè.
Adhuc imperio Romano quædam inest ferri vis & natu-
ra. Continere se cogitur hostis ille Vngariæ finibus,

neque extra hos egredi unquam poterit, nisi quantum ei Deus peccatis nostris offensus atque irritatus permittet. Multa me silentio præterire animadvertitis.

*Swinger
in the-
atro, vo-
lum. 28. lib.
2. sub tit.
Impe-
ratores
Franci &
Germani.*

Taceo seriem & successionem Cæsarum à CARO-
LO MAGNO ad hodiernum Rudolphum Maximilianî
Secundi filium propagatam. Omitto nomen Impera-
torum Romanorum, quod Cæsaribus Germanicis tribu-
unt omnes Europæ Reges, præ se ferunt numismata, o-
stendunt diplomata. Non etiam urgeo, quod Roma
quartæ Monarchiæ mater etiamnum imago sit atque ef-
figies veteris gloriæ, & imperio Romanorum Germanico
subiecta: quæ si adferre vellem, facile ostenderem, non-
dum Imperatores nostros, utpote præcipuos Europæ cu-
stodes, nondum ornamenta dignitatis & præsidia stabilita-
tis suæ omnia perdidisse.

*Considera-
tio Imperii
Romani re-
spectu im-
perii Turci-
ci.
Quantum
ad regna &
respub. diu-
tius conseri-
vandas post
Deum pro-
sint nobiles
& antiquæ
familie.*

Sed superest gravior quædam & prægnantior ratio,
quæ me, ut ita dicam, ad se vocat, illa leviora relinquere
hortatur. Intuenti enim mihi in Imperium nostrum
Romanum, & illustres, quibus ceu stellulis ornatum, ceu
manibus munitum est, familias consideranti, prorsus ita
videtur, neque Turcas, neq; alios quoscunq; hostes tantæ
felicitatis unquam futuros, qui id vel occupare, vel si
quid occupent tueri ac retinere diu possint. Sunt pri-
mò septem Electores familiæ generisque vetustate claris-
simi, sunt deinde principes, sunt Comites, sunt Barones,
est Nobilitas. Electoribus quidè tanquã firmis quibus-
dam columnibus tota innititur imperii moles, multò gravi-
or Atlantis mole, à quo cælum humeris sustineri veteres sa-
pientiæ patres ac duces prodiderunt. Tenent hi distributas
inter se provincias. Respicit horum vota Imperator. Hos re-
spiciunt subditi, hos amant, hos magnificiunt: unde jã summa
nascitur & occupandi, & retinendi, cum occupaveris, difficul-
tas

fas. Quæ enim via, qui accessus pateat ad Regnum tot illu-
 stribus familiis veluti manibus vallatum? An si unus
 procerum deficiet, idem propterea facturi sunt omnes?
 si unum debellaveris, idcirco cæteri victas manus porri-
 gent? Cujus autem Regni capti jam & occupati difficilior
 esse retentio potest, quam in quo populus veteres suos &
 claros, quos eximiâ quondam benevolentia prosequeba-
 tur, amore complectebatur, proceres exoptat? Vultis, de-
 clarabo rem exemplo? Alexander ille Magnus paucis ad-
 modum annis Darii regno potitus est, idque tam felici-
 ter, ut nunquam sub ea, nunquam à possessoribus ejus post
 mortem defecerit. Quæres, quænam istius in retinendo feli-
 citatis causæ assignentur? Quia nimirum alia erat regni
 Dariaci, quam nostri, conditio, aliud administrationis ge-
 nus. Ab unius Imperatoris metu & voluntate pendebant
 omnes: Præter hunc superiorem agnoscebant neminem.
 Quod si quibus parebant, non ut Dominis parebant, sed
 ut servis & ministris. Itaque destituito proceribus
 populo, causæ jam nihil erat, quo minus Alexander re-
 gnum semel à se occupatum securè possideret, & ad suc-
 cessores quietum pacatumque transmitteret. Similis
 planè conditio est Regni Saracenicæ. Nam & hoc unius re-
 gitur ductu atque arbitrio Imperatoris. Imperatoris rata
 sunt dicta, decreta, consilia, Cæteros meram esse dixeris
 fervorum & mancipiorum colluviem: quod eâ causâ
 commemoro, ut judicetis, quam & dignitate familiarum &
 administrationis genere Imperii Germanici status Turci-
 co antecellat. Magnus quidem apud nos Imperatoris
 est respectus, dignitas, honor, autoritas: neque tamen ideo
 penes unum sunt omnia, quando autoritatis istius partem
 aliquam sibi vendicat gravissimus, & ad præsentia
 conservanda, jacentia erigenda, ruentia fulcienda
 sapien-

*Machiav.
 in Principe
 cap. 4.*

*Cur Ale-
 ander Da-
 rii regnum
 totum brevi
 tempore oc-
 cupare po-
 tuerit, &
 cur illud
 nunquam
 defecerit
 à successoribus
 Alexandri.*

sapientissimè atque utilissimè à Deo ter Opt. Max. constitutus Septemvirum Senatus. Quà de re multò plura dicturus essem, nisi clamoribus interpellarer eorum, quorum contrarias me opiniones & sententias percensere inijtò meministis.

III.
Refutatio
opinionis
eorum, qui
putant in-
teriturum
Rom. impe-
rium ante
finē mun-
di

lib. 7. cap.
25.

Pantale-
on in Chro-
nolog.

Non satis est veritatem, quo par est, studio quæsiuisse, quæsitam invenisse, oportet quoque à contradicentium oppugnatione & falsissimis opinionibus periclitantem illam, quantum fieri potest vindicemus. Videmur hoc facere posse faciliùs, quod ea omnia, quæ adhuc à me dicta sunt, iidem isti, velint nolint, concedere cogentur, contra victi partim Scripturæ testimoniis partim aliis rationum non facilè contemnendarum momentis.

Quid igitur ait sententiæ contrariæ propugnator Lactantius? Delebitur postremo tempore Romanum nomen, & imperium recuperabit Asia. O liberalitatem in definiendis rerum futurarum eventibus! Quis istud absconditum & retrusum Lactantio aperuit? Videat ne perinde hæc decipiatur prædictione, atque cum ultimi iudicii tempus satis audaciter & inconsideratè, ne quid gravius dicam definire conatus est. Destinârat enim ei annum à suo tempore ducentessimum. Constat autem vixisse illum, claruisseque anno nati Christi 330. Ita stante hæc prædictione dies iudicii in annum incidisset, qui fuit à nato Christo, quingentesimus tricesimus. Ergò una Lactantij prædictio impleta non est, nos cæteris fidem adhibebimus! Optarem Lactantium hodiè, si fieri posset, reviviscere & Romanæ, Monarchiæ. cui tantopere metuebat, reliquias, coràm videre. Miraretur divinam earum annis 1276. inter concussiones tam varias, conservationem: fateretur nimis se hæc in parte fuisse meticulousum, deessent fuci omnes & colores.

Nam

Nam quæ de interitu Aegypti, Græciæ, & Afsyriæ disputat, ea sententiam ipsius, quamvis splendide admodum dicantur, verisimilem & probabilem non efficiunt. Fatemur & nos omnia regna inde usq; à mundi primordio certas habuisse periodos, quibus elapsis, defierint: neque enim experientiæ bellum facturi sumus: verum ab illis ad quartam Monarchiam arguere velle, auctoritas Danielis, quam Lactantio veluti Gorgona opponimus, minimè permittit. Ac videntur animos nostros alioqui ad dubitationem pronos confirmare permultum posse aliarum in Daniele annotatarum rerum consecuti jam dudum eventus. Prædictum est, quatuor esse extituras Monarchias: evenit. Prædictum est, florente quartâ Monarchiâ ferocissimam & Christiano nomini inimicissimam gentem latissimè dominaturam: evenit. Prædictum est sub eâdem Messiam exhibendum esse; evenit. Itaq; ut ob unum Lactantij non cōpletum vaticinium fides cæteris decedit: ita hîc multæ Danielis jam impletæ prædictiones reliqua ejusdem oracula corroborant, nosq; eventum expectare citra omnem omninò dubitationem jubent.

Sed neque exigui Romanæ ditionis termini, & illa tot provinciarum avulsio rationes sunt sufficientes, cur interitum aliquem universum pertinere & augustissimo Spiritus S. oraculo diffidere velimus. Habet sola Germania titulum ac possessionem imperij: at si vires conjungat, & animos, vim omnem externam facile depulerit. Testes sunt cum alij multi, tum vel imprimis Turcæ & Pontifices Romani: Hi enim virulentia & invidia veneno suffusi licet varias semper evertendi seminarij istius vias ac rationes tētârint, licet huc omnia consilia sua, omnes vires, omnem prudentiam contulerint:

*Confirmatio
abundantior
de summa certitudine, Prophetia Danielis, quod māsuum sit Romæ Imperium usque ad finem mundi.*

Verū monarchie dignitas pēdeat ex externis solis quibusdam prerogativis.

serint: votis tamen & optatis eorum crudelissimis nunquam omninò est satisfactum. Deus ubi semel Germaniam veræ Religionis firmamentum, disciplinæ custodem, Ecclesiæ domicilium constituit; largitur illi quoque vim & robur, quo se adversus omnes partim apertos Turcarum aliorumq; hostium furores, partim clandestina Pontificiorum consilia defendere & tueri masculè queat. Desinat proinde Johannes Bodinus Monarchiæ nomē Imperio nostro detrahere, neq; vel magnitudine opum, vel multitudine populorum, vel amplitudine regionū Monarchiam metiatur. Ecquid enim intelligit incrementa decrementa, felicitatē infelicitatē ijs esse rebus annumeranda, quas Philosophi recepto jam pridem vocabulo accidentia nominare consueverunt? Ecquid intelligit eadē in fortunæ ita dictæ temeritate consistere? cui, ut omnes res humanæ sunt obnoxia, ita etiam Regnorum & Monarchiarum prosperitas. Nomina, quæ so, Bodine, nomina Regnum ullum, quod in magnis opibus, splendore, potentiâ, majestate eundem perpetuò felicitatis cursum, quemadmodum quidem sperabat & optabat, tenere potuerit. Nos, ne antiquiora jam consuetemur, solum Imperium Romanum tibi considerandum proponimus. Quid ad hujus florem atq; amplitudinem accedere poterat imperantibus Augusto & Ulpio Nervâ Trajano? neq; tamen idem flos, eadē amplitudo perstitit, cum Honorius Theodosij filius, cum Phocas, cum Heraclius gubernacula tenuerunt. Num autem sub his minùs Monarchia erat imperium Romanum, quàm temporibus Augusti & Trajani? Incrementa sensit non parva Lusitaniæ Regnum: eidem quid nuper acciderit, nemo vestrum, ut opinor, ignorat. Tanta est rerū humanarū vicissitudo,

incon-

Nullum unquam regnum perpetuò floruit pariter.

inconstantia, instabilitas. Quare videndum ne diminutione offensi Monarchiam Germaniæ adimamus, contraq; amplitudine atq; augmento decepti, vel Hispaniæ vel alijs eandem regnis ascribendam arbitremur. Equidem opes, potentiam, exercitus, terras longè lateq; disjectas singulare quid esse & eximium confiteor. Nego verò in his animam quatuor Regnorum maximorum consistere. Illa, illa, inquam, anima sunt Monarchiarum quatuor: ostendere posse tituli istius prædictionem & testimonium divinum, tum, ut docti quidam viri censent, veram habere Religionem, habere leges optimè constitutas, tueri decus atq; ornamentum libertatis; in quibus certè multum potest Germanicum Imperium. Quid enim ornamenti, quid pulchritudinis in eo desideras? Religionem veram? Ex hoc ipso Electoratu Saxoniæ, ex hoc ipso oppido Evangelium operâ Lutheri divinitus repurgatum in vicinas se regiones diffudit. Num leges & judicia? At præter jus civile Romanum nusquam humaniores, nusquam pulchriores reperiri leges, omnium propè Sapientum consentiens est opinio. Num Academias? Atqui fuerunt semper & adhuc sunt viri nullius non facultatis ac professionis doctissimi. Num gubernationis nervum? Nominavi antè Electores, quos cæteri status suo quisq; dignitatis & honoris loco, sequuntur: Ut hoc verè dicturus mihi videar, esse id omne; quod de magnitudine regionū detractum est, thesauro verbi divini longè preciosissimo cæterisq; ornamentis abundè compensatū. Eat nunc Turca aliquis, perfricet frontem, & dicat similes in sui etiam Imperatoris ditione ac Regno gemmas, similia ornamenta lucere: alioquin videre non possum, cur tandem Bodinus oraculū Danielis de Principe Turcarum interpretari æquius esse existimet?

C

Eosné

ἐνδελέχειας
& anima
Monarchiarum
quatuor
verissima.

*Imperium
Turcicum an
non spelunca
latronum va-
stissima?*

Eosné ergò ex quatuor summis Imperijs Monarchas esse dicit, quorum lex atq; Alcoranus à verbo Deitotus abhorret? eos, qui tantas in CHRISTUM Servatorem nostrum blasphemias effundunt? eos, qui bellum Ecclesiæ movent? eos, qui id unum agunt, quonam pacto Evangelium, ipsosq; Evangelij confessores delere & exterminare penitus possint? eos qui omni crudelissimorum suppliciorum genere deserviunt in subditos, consanguineos, Fratres, necessarios? qui per orbem terrarum immanissimorum latronum more bacchantur? qui non sexui, non ordini, non ætati ulli parcunt? qui agros vastant, oppida diripiunt, depopulantur, incendunt? qui loca ipsa, in quibus tot olim Ecclesiæ studio Apostolorum plantatæ florebant, & illam, illam præcipuè terram, quæ Christi vestigiis impressa, Christi admirandis operibus nobilitata, Christi sanguine irrigata est, horribilibarbarie foedissimoq; idololatricorum cultuum cœno compleverunt? Nec verò est, quod vim & copias tanto operè jactitent, sperentq;, se exercitu suo numerosissimo ceu diluvio aliquo universam tandem, quanta est, Germaniam inundaturos. Nunquam enim eveniet, ut tribus illis cornibus, quæ Mahometi Daniel attribuit, quartum accedat. Asiam, Græciam, Aegyptum ampla sanè & optima regna à Romano imperio violenter distracta nullo jure injustissimi possessores invaserunt. Hæc ipsis sufficiant: majora sibi atq; altiora ne polliceantur.

Dan. 7. 8.

Sibyllæ de Roma pronuntiatum quo loco habendū.

Supereft unus adhuc, isq; gravissimus Judæorum error, quem, ne vestra in auscultando patientiâ abusus esse videar, breviter quoque refutandum mihi & coarguendum proposui. Nam Sibyllinum illud oraculum: καὶ ῥώμη κώμη καὶ δῆλⓄ ἄδῆλⓄ, quid multis confutem?

Extremæ

Extremæ profectò impudentiæ & insaniæ fuerit, certissimis Spiritus S. oraculis antepone velle incerta & suspecta, Sibyllæ nescio cuius, oracula.

Quid deinde Hydaspi pronunciatū impugnare institutam? Novimus, quanta ejusmodi prædictionū sit incertitudo; novimus quàm sæpius illæ credulorū ingeniorū spem & expectationē fefellerint. Maximilianus cum anno millesimo quadringentesimo octogesimo die 6. Febr. cunctis Septemvirū suffragiis Imperator eligeretur, Judæum quempiam Francofurti fuisse, perhibent, qui diceret, ultimum tunc Imperatorem Germanicum eligi; accersitumq; ad Principes Electores, coram his eadem dixisse, sed addidisse successorem Maximiliani ex ejus progenie latè in Europà regnaturum, post securas insignes multarum rerum mutationes. Alterum potentia Caroli V. comprobavit: alterum continuata in hunc usque diem Imperatorum Germanicorum successio refutavit.

Explosis igitur hisce falsis & incertis ad Judæos meam se convertit oratio: cujus gentis, nescio utrum tam deploranda sit cæcitas, quàm detestanda pertinacia? Est cæcitatis horrendæ, veritatem luce meridianâ clarior rem videre nō posse. Est pertinaciæ, cum videas eam, in errore constanter persistere, & quod magis est, clarissima Sacrarum literarum eò detorquere testimonia, ut aliquis errori fucus fiat, splendidissimumq; veritatis lumen, si non extingatur, certò obscuretur. Utrumq; Judæis justissimè exprobavero: posterius majori etiam cum jure quàm illud prius. Quam enim pertinaces sint & obstinati, & in aliis multis & in hac nostra potissimum quæstione declarant. Danielem cæterosq; Prophetas assidue inspicunt, legunt, rimantur: & ta-

C 3

men

*Predictiones
profane &
vulgares, quo
loco habende.*

*In Chronic:
Ph. M. lib. 5.
sub titulo,
Maximilia-
nus Impera-
tor.*

*Refutatio Ju-
deorum Om-
perio Romano
malè ominan-
tium & cupi-
entium.*

men Monarchiæ quartæ mansuras esse reliquias videre nolunt. Quidnam eos de Imperij Romani everfione tam certos facit? unde tantum fpei & fiducia conceptum? Satis quidē esse cenfent fequentia Jeremiae verba citare? *Gaude & letare filia Edom, qua inhabitas terram. Hus, fuper te quoq; transibit calix, inebriaberis & nudaberis.* Ego autem nego filiam Edom hîc esse populū Romanū: nego fi primus Monarcha C. Cæfar Edomita fuiffet, ex eo Romanos omnes dici Edomitas oportere. Num Judæi Edomitæ aut Romani appellandi erunt, quoniam Herodes homo de Edom fummum inter eos principatum obtinuit? Quid? quod ipfe gentium ortus atque origo reclamât? Erat Edom, quem aliàs Efavum vocitârunt ex pofteritate Sem filij Nohe oriundus. Jam Europæum orbem, ubi fita eft Roma, à pofteris Japheth totum fuiffe inhabitatum ajunt. Quî igitur filia Edom Imperium Romanum fignificet? Nihil moror Hebræorum, Romanos quandoque filios Efau quandoq; filios Edom appellantium, confuetudinem. Eft enim hæc appellatio, ut alijs placet, plena myfterij ufurpata idcò, ut innueretur, Romanos aliquando in facrofancam Ifraëlis, cujus frater Efau fuit, focietatem nomina daturus. Quin, neque hi foli hoc nominis tulerunt, fed quicunque idolis cultum exhiberent, quicunque populum Dei perfequerentur quicunque opera Efauitica facerent filij Edom & Efau veteribus Judæorum dicti fuere. Nunc cum Deus illos, difcuiffis eorum, quibus involuti erant, tenebris, ad Evangelij lucem perduxerit, operaque illa impia & idololatrica, non amplius imitentur, Edom & Efau effe defierunt. Quid igitur eft? Idumææ videlicet regnum (fequamur enim literam in Threnis) filia Edom ifthic denotat, ab Edom antiqui-

An Romani
fint Edomita.

Vide commē-
tarios fuper
Gen. 10.

Thre. 4. 21. 22.

tus

ius ita denominatum, Hus verò civitatem illo in regno præter cæteras celebriorem. Benè habet. Jacent Judæorum, jacent Bodini, jacent Lactantij rationes. Nostra verò sententia (nunquam penitùs desitutum Imperium Romanum) firmissimè adhuc consistit, tantò verior, quantò major est eius, cujus sanctissimis oraculis probatur confirmaturq; Spiritus S. autoritas.

Quod restat, te RUDOLPHE, Imperator semper Auguste, appello, vos ego SEPTEM ELECTORES, vos Imperij totius Germanici ordines alloquor. Vobis Monarchiæ quartæ reliquias turbulentissimo hoc tempore concedidit DEUS, Vobis Christiani coetus defensionem, vobis decalogi custodiam, vobis rerum omnium administrationem demandavit. Vos in nave, quæ est Imperium, sedentes, periculosissimæ navigationis cursum vestro consilio vestraq; autoritate moderamini. Vos onus illud sustinetis, cui ferendo neque Atlantis neque Herculis humeri sufficiunt. Vos ij estis, quorum salute, quorum felicitate nostra salus, nostra felicitas continetur. Videte per Deum, videte, ut cæterorū negociorum posthabitâ curâ unum hoc agatis, unum hoc cogitetis, unum hoc somnietis, quam ratione Imperium Romanum amplificari, Ecclesia conservari, leges sapienter atq; utiliter sancitæ retineri cōmodè possint. Obtestatur vos ipsa Imperij salus, quæ si unquam ope vestrâ eguit, nunc profectò, nunc eam requirit. Obsecrat, ne ullâ in re laborare se patiamini, sed quemadmodū ante hâc defendistis, ita deinceps etiam defendere constanter pergatis. Huic igitur satisfacite, huic succurrite. Quid præpotenti Deo gratius? quid vobis laudabilius, quid Imperio Romano gloriosius?

*Compellatio
ad RUDOLPHUM II. &
Electores Imperij Romanæ*

O Chri.

O Christe, tuum imploramus auxilium. Tu es Angelus ille magni consilij. In tuâ manu Regum & Principum corda sunt: immitte cunctis ordinibus & statibus ejusmodi mentes, quæ utilitatem subditorum tuamq; imprimis gloriam cogitent & meditentur. Et quando

Votū pro Ru- RUDOLPHUM II. supremum Imperij caput esse vo-
DOLPHO II. luisti, da ei hoc munus, ut hostes suos ad unum omnes
Imper. Rom. fortiter contundat, & si fieri possit:

————— *ad ipsum.*


Virg. 4. Georg. Fulminet Euphratem bello, qui terminus olim
Romanæ ditionis erat, victorq; volentes
Per populos det jura, viamq; affectet Olympo.

DIXI.



VOTA

MC



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2000

ACAD. VVITEBERG.
SENNERTUS
 Æ ET MEDICINÆ
 ET PROFESSOR P.
 significamus vobis, cives Aca-
 , quod omnes scire arbitra-
 er aliquot jam annos in hâc
 versatos esse de domo NO-
 TIORUM Nobili, atque ita
 times, eos de compacto rem e-
 OBILITATIS quandam qua-
 academiâ vellent constituere.
 ni videte, qui nunc hîc vivût:
 e argumento sanè gravi seni-
 licè disputârint. Et natu qui-
 ICUS in aliâ etiam palestrâ,
 habeatur, laudabili industriâ
 riclitabitur. Conscripsit enim
 mento itidem difficili & mo-
 quod tractatu simul utile sit,
 m scilicet hæc Monarchia Ro-
 id exemplum trium priorum
 n sit interitura? Quæsti pro-
 homo Nobilis exerceat, & pu-
 bolâ audiatur. Audite, Cives
 ad horam secundam. Non opi-
 e, quem opera sua pæniteat.
 cavit Anno Christi 1606.
 ORATIO

